

bro ejus ostendimus : & præcipue istos quos nunc exigitis, ut interpretemur, id est, si ego, quod vel de principis, vel de principibus dici potest, qui sunt revera & obscurissimi & difficillimi. De rebus enim talibus ibi disputat, in quibus philosophi omni sua ætate consumpta, nihil invenire potuerunt. Hic vero noster quantum potuit id egit, ut creatoris fidem & creaturarum rationem, quam illi ad impietatem traxerant, ad pietatem iste converteret.

Etiam hic diligentius inspicere, ut non te prætereat, quod creatoris quidem fidem diximus, creaturarum vero rationem : scientes quod ea quæ de Deo dicuntur, ad fidem pertinent : quæ vero de creaturis disputamus, ad rationem. Sed quod sequitur adhuc addamus :

Sicubi ergo nos in libris ejus aliquid contrarii invenimus, quod ab ipso in cæteris locis pie de Trinitate fuerat definitum : velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam.

Nunquid & hic incaute aliquid diximus? Nunquid dixi quia secundum fidem nostræ regulam protuli, quod erat utique jam penitus modum interpretis, & ex Græco in Latinum vertentis excedere? Sed secundum eam regulam protulisse me dixi : quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam.

Item his addidimus : Si qua sane vel peritis jam & scientibus loquens, dum breviter transire vult obscurius protulit, nos ut manifestior fieret locus, & ea quæ de ipsa re in aliis libris apertius legeramus adjecimus, explanationi studentes. Nihil tamen nostrum diximus : sed licet in aliis locis dicta, sua tantum sibi reddidimus.

Puto quod etiam apud iniquissimos iudices sufficere mihi posset sola ista confessio, qua dixi, nihil nostrum diximus, sed licet in aliis locis dicta, sua tamen sibi reddidimus. Nunquid me in aliquo obnoxium feci? Nunquid promisi me meum aliquid dicturum? Ubi est quod acculant, quod calumniantur, quod confingunt me dixisse, quia mala tuli & bona dixi : & quæcumque bona sunt transtuli? Erubescant aliquando, & definant falsa proferre, & diaboli in se opus fratres criminando suscipere. Audiant quia nihil nostrum diximus : & iterum ac sapius audiant, quia nihil nostrum diximus : sed licet in aliis locis dicta, sua tamen sibi reddidimus. Et ne nos atque Domini misericordia huic operi manus existiment commodasse, videant nos hæc ipsa ante prædixisse quæ faciunt. Post hoc enim addidimus etiam ista :

Hæc autem idcirco in præfatione commonui : ne forte calumniatores iterum se criminandi putent invenisse materiam. Quod dixi, iterum, illa est causa : quia jam sancti Episcopi Joannis Epistolam de fide ad sanctum Theophilum scriptam criminati sunt : quando corpus humanum, aliud nescio quid fingebant esse quam carnem : idcirco, iterum, posui. Sed viderint, inquam, quid perverfi atque contentiosi homines agant. Nobis interim tantus labor, si tamen orantibus vobis Deus juverit, idcirco susceptus est : non ut calumniosos os, quod fieri non potest, licet forte etiam hoc Deus faceret, clauderemus ; sed ut proficere ad scientiam rerum volentibus, materiam præberemus.

Ut autem scias & quod fallatur hæc essent, & prævidimus & prædiximus : vide quid in sequentibus junxerimus : Illud sane, omnem qui hos libros, vel descripturus est, vel lecturus, in conspectu Dei Patris & Filii & Spiritus sancti confessor atque conventio, per futuri regni fidem, per resurrectionis ex mortuis sacramentum, sic non illum locum æterna hereditate possideat, ubi est fletus & stridor dentium, & ubi ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur : ne addat aliquid huic scripturæ, ne auferat, ne inferat, ne immutet.

Et tamen post ista omnia, tam horrida, tamque horribilia adjurationum sacramenta, falsare hæc atque corrumpere non timeverunt illi : qui se dicunt credere resurrectionem carnis futuram. Qui vel hoc ipsum si crederent quod Deus est : nunquam hæc tam criminosa & nefanda committerent. Ubi tamen in his quæ præfati sumus, aut Origenes laudibus usque ad cælum, ut criminatur, elatus est : ubi Apostolus aut Propheta, aut tale aliquid à nobis, quale ipse de eo scripsit, dictum est? Aut in quo proflus alio inveniunt criminandi locum? Fidem nostram præmisiimus : quæ puto quod in omnibus cum Ecclesiastica confessione concordet. Interpretandi observantiam distinximus : cujus revera nobis in

Amantulus hic Ruffinus.

Non vult se laudatorem Origenis talem fuisse, qualis fuit Hieronymus.

quampluribus exemplum ipse præbuerat, qui nunc accusator existit. Quid propositi in interpretando gesserim, designavi. Jam si plene id, aut minus plene implere valui, à legentibus comprobetur : à quibus vel laudari, vel rideri solet, non tamen ad crimen vocari : cum in alteram linguam, vel propriè, vel minus propriè aliena verba vertuntur.

Verum quoniam eorum fecimus mentionem, qui hæc ipsa, quoquo modo sunt, tamen nisi falsa sint criminari ea nullatenus potuissent : ipsum caput in quod manus falsarias imposuerunt, conveniens puto huic Apologie nostræ inferere : ne me studio meo subtrahere putent hoc, quod illi addito suo falsa crimina obtendunt. Etenim cum in quodam supradicti operis loco, quem interpretari sumus quasi haberetur, adversum eos qui Deum corporeum dicunt, & humanis eum membris habitaque describunt : quod asserere præcipue Valentinianorum & Anthropomorphytarum hæresis solet : cui isti accusatores nostri nimis, ut video, dextras dederunt, & Origenes Ecclesiasticam contra eos fidem defendens, omni genere incorporeum esse Deum, & idcirco etiam invisibilem confirmaret, provocante se ordine questionis, respondit contra hæreticos in hoc loco quædam ; quæ à nobis isto modo versa sunt in Latinum.

Ex primo libro τριτοῦ ἀποστόλου post aliquanta : verum istæ assertiones minus fortasse autoritatis habere videntur apud eos qui ex sanctis Scripturis de rebus divinis institui volunt : & inde sibi approbati quærent, quomodo natura Dei supereminet corporum naturam. Vide ergo si non etiam Apostolus hoc idem ait, cum de Christo loquitur dicens : *Qui est imago invisibilis Dei, primogenitus omnis creature.* Non enim, ut quidam putant, natura Dei alicui visibilis est, & aliis invisibilis : quia non dixit Apostolus, imago invisibilis Dei hominibus, aut invisibilis peccatoribus, sed valde constanter pronunciat de ipsa natura Dei dicens, *imago invisibilis Dei.* Sed & Joannes in Evangelio dicens : *Deum nemo vidit unquam,* manifeste declarat omnibus qui intelligere possunt : quia nulla natura est cui visibilis sit Deus, non quasi qui visibilis sit quidem per naturam, & velut fragilioris nature evadat atque excedat aspectum : sed quoniam naturaliter videri impossibile est.

Sed si requiras à me, quid etiam de ipso unigenito sentiam : si ne ipse quidem visibilem dicam Dei naturam, qui naturaliter invisibilis est : non tibi statim vel impium videatur esse vel absurdum : rationem quippe dabimus consequenter. Aliud quidem est videre, aliud noscere. Videri & videre corporum est : nosci & noscere, intellectualis nature est. Quidquid ergo proprium corporum est : hoc nec de patre, nec de filio sentiendum est. Quod vero ad naturam pertinet deitatis, hoc inter patrem & filium constat. Denique etiam ipse in Evangelio non dixit : quia nemo videt patrem nisi filius, neque filium nisi pater : sed ait : *Nemo novit filium nisi pater : neque patrem quis novit nisi filius.* Ex quo manifeste indicatur, quod quidquid inter corporeas naturas videre vel videri dicitur : hoc inter patrem & filium noscere dicitur & nosci, per virtutem scientiæ, non per visibilitatis fragilitatem. Quia ergo de incorporea natura & invisibili, nec videre propriè dicitur, nec videri : idcirco neque pater à filio, neque filius à patre videri in Evangelio dicitur, sed nosci. Quod si proponat nobis aliquis, quare dictum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt?* multo magis ex hoc, ut ego arbitror, assertio nostra firmabitur. Nam quod aliud est corde Deum videre : nisi secundum quod supra exposuimus, mente eum intelligere atque cognoscere?

Istud est caput, quod isti qui ad insidiandum mihi de Oriente transmissi sunt ; non solum perverfa intelligentia ; verum etiam verborum adulterio conati sunt infamare. Quod ego idcirco, ut alia quoque nonnulla ejus quem interpretabar scriptoris, suspectum habere non potui, neque præmittendum judicavi : quia non in eo aliquid de comparatione patris aut filii dicebatur, sed de ipsa deitatis natura quaerebatur : si ei aptum ullo genere visibilitatis vocabulum videretur. Respondi ut supra diximus his hæreticis ; qui idcirco Deum visibilem esse asserunt, quia & corporeum dicunt, pro eo quod visio propriè corporis est. Unde & illi Valentiniani, quod supra diximus, hæretici, corporaliter & visibiler generaliter patrem, & generatum filium dicunt.

Refugiens ergo, ut opinor, Origenes visionis appellationem tamquam suspectam : ait melius esse in natura deitatis, id est, inter patrem & filium uti illo sermone, quem ipse Do-

Conqueritur de missis ab Oriente.

minus definivit, dicens : *Nemo novit filium, nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius :* omnem ergo occasionem supradictis hæresibus credidit excludendam, si notionem in natura deitatis potius diceret quam visionem : dum visio occasionem aliquam præbere videatur hæreticis. Notio vero unius nature inter patrem & filium, servat indissociabilem veritatem : præcipue quia Evangelii talis autoritas est. Simul & cautela per hoc plurimum credidit fore : ne Anthropomorphyte quoquo modo audirent visibilem Deum.

Hæc ratio, quia non faciebat aliquam differentiam Trinitatis, visâ mihi est non debere penitus abjici, etiam si aliqua verba in Græco incautius fortasse posita, declinavimus. Sit sane adhuc in iudicio legentium : utrum & hoc adversum supradictas hæreses utile, aut minus utile videatur. Tamen ponamus quod etiam hi qui norunt de literis & hujuscemodi sensibus judicare, quibus cum peritia adest & timor Dei : qui nihil per contentionem, neque per inanem gloriam gerunt : quorum animus ab invidia & favore, & odio vacat, dicant non multum ad instructionem, vel ad expugnandas supradictas hæreses caput istud valere : nunquid nam id non licet prætereire : & tanquam minus validum ad depellendos adversarios transcurrere? Pone quia sit otiosum : nunquid & criminiosum? Quomodo criminis loco ducetur : ubi invisibilitatis æqualitas inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum confirmatur? Non puto hoc ita cuiquam videri. Et quid dico cuiquam? Sed ne istis quidem ipsis criminatoribus meis, aliquid in meis literis visum esse quod possit offendere. Denique si hoc putassent : ipsa sicut transluleram mea verba posuissent.

Sed nunc ausculta quid faciunt : & flagitii eorum require si ullum præcessit exemplum. In eo loco ubi scriptum erat : Quod si requisit à me, quid etiam de ipso unigenito sentiam, si ne ipse quidem visibilem dicam naturam Dei, qui naturaliter invisibilis est : non tibi statim vel impium videatur esse vel absurdum, rationem quippe dabimus consequenter : Pro eo quod nos scripsimus, rationem quippe dabimus consequenter : illi scripserunt, non tibi statim impium vel absurdum videatur esse, quia sicut filius patrem non videt, ita nec Spiritus sanctus videt filium. Hoc si in foro positus, vel negociis secularibus commisisset iste qui de monasterio Romam quasi calumniandi peritissimus missus est : norunt omnes quid consequeretur ex legibus publicis ejusmodi criminis reus. Nunc vero quia secularem vitam reliquit, & a tergierversatione illa actum publicorum ad monasterium conversus est, & adhæsit magistro nobili : ab ipso edocetur iterum pro modestia furere, insanire : pro quiete, seditiones movere : pro pace, movere bellum : pro concordia movere dissidia : perfidus esse pro fide, pro veritate falsarius.

Crede mihi quod hujus sceleris nequitia etiam verum fuisset exemplar : nisi Jezebel tibi illa occurrisset. Illa est enim quæ hoc crimen adversus Nabutheum Hiezechielium vinea causa composuit : & mandavit presbyteris iniquitatis, falsis eum conscriptionibus perurgere : quasi qui benedixisset : id est, blasphemasset Deum & regem. Sed quis in hoc felicitior : illa quæ mandat, aut hi qui mandato iniquitatis obtemperant? Gravia hæc : & ut opinor, in Ecclesia pene hujusmodi facinus inauditum est. Sed addit adhuc aliquid. Requiris quid illud : Ur rei iudices fiant, & insidiatores sententias ferant. Nam errasse scribentem, aut lapsum esse in sermone, novum non est, & ut opinor venia dignum est : quia & scriptura dicit : In multis enim offendimus omnes : qui autem in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Erratum putatur in verbo : Corrigitur, emendatur, si id utilitas postulat, & auferatur.

Inferi vero quæ non sunt scripta literis alienis, & falsa inferri ad hoc solum ut vitam fratris infames : temerare aliena scripta, ut scriptori inferas notam : ut subreps aurebus populorum : ut conturbes corda simplicium : ut nihil aliud ex eo nisi apud homines opinioni maculam conferas : videte si alterius est opus : nisi illius qui ab initio mendax fuit, & fratres criminando, diabolus, id est, criminator nomen accepit. Nam cum falsam hujusmodi sententiam apud Medianum recitaret, & à me quæ legebat falsa esse dicerentur : interrogatus à quo accepisset exemplaria : respondit matronam quandam sibi dedisse : de qua ego, quæcumque illa est, nihil dico : sed sui eam & Dei conscientia derelinquo. Mihi tamen in hoc Dei & vestri sufficit testimonium, id est, tuum & sancti viri ipsius, cui hoc opus gerebam Macarii, qui schê-

dulas ipsas meas vel ab initio legitis, vel etiam licet nondum completa, & ad integrum emendata exemplaria retinetis, id est, quia sicut Filius non videt Patrem, ita nec Spiritus sanctus filium videt : id est, quod ego non solum unquam non scripsi : sed è contrario, quia ille falsavit, indico. Si quis negat, quod non ita videt Filius Patrem, sicut pater filium : & non ita videt Spiritus sanctus patrem & filium, sicut videt Pater Filium & Spiritum sanctum, anathema sit. Videt enim & verissime videt : sed ut Deus Deum, & lux lucem, & non ut caro carnem : sed ut Spiritus sanctus, non corporeis sensibus, sed virtutibus deitatis. Si quis hæc negat, sit anathema in æternum. Qui autem vos conturbat, sicut dicit Apostolus, portabit iudicium quicumque est ille. Memini sane quod aliquis eorum cum argueretur falsasse hæc : respondit mihi in Græco ita haberi : me autem in Latino immutare voluisse. In quo omitto illud exequi, quia nec quidem verum dicunt : sed tamen ponamus, quia sic est in Græco : & ego in Latino hoc non scripseram. Promiseram me enim in præfationibus tale aliquid facturum. Quod si feceram ut quod ibi offendeat, in Latino commodius scriberem : quid absque promisso, vel quid absque ratione nostra feceram? Tu certe qui hoc in Latinis meis exemplaribus non inveneras : in tuis chartulis, hoc unde scriptum legebas? Ego qui interpretatus sum non scripsi : Tu qui me accusas, & meas tales literas non tenes, crimen mihi unde componis? Aut inde ego accusari debeo, unde tu falsum dixisti? Rem planissimam dico. Quatuor libri sunt isti, quos interpretatus sum : in quibus de Trinitate spatium per singulas pene paginas disputatur.

Relegantur universa, si usquam talis aliquis de Trinitate inventus fuerit in interpretatione nostra sensus, quem in isto capite calumniantur : tunc demum credatur etiam hoc eo sensu, quo isti confingunt, esse prolatum. Si vero per omne librorum corpus nusquam sit illa differentia Trinitatis : nonne vesanus stultumque pariter commentum est dicere, quod uno solo capite hæresis confirmata est ab eo, qui cum mille capitibus expugnaverit? Sed & rei ipsius consequentia prudentem quemque satis edocet. Quod si hoc in meis literis invenisset, & verè scrupulum aliquem ex ipsa lectione cepisset, cum me sicut ipse nosti Romæ positum haberet præsentem, continuo utique perquisisset, & ipsa ad me scripta detulisset : quippe qui usque ad ipsum tempus etiam videre me, & salutare, & in oratione communicare solitus erat, contulisset sine dubio mecum de his quibus videbatur offendi : inquisisset quomodo à me fuisset prolatum, quomodo haberetur in Græco.

Certe etiam hoc gloriæ sufficere sibi putasset : si visus fuisset in dictis nostris vel scriptis, fecisse aliquid per se emendari. Aut si furor animi non tam emendare errorem quam proferre in publicum compulisset : sine dubio nunquam elegeret absentem lætare : quem potuisset gravius confutare præsentem. Sed istum quia falsi conscientia deterebat, ad me quidem ejus erant scripta, quæ volebat criminari, non detulit : sed per domos, per matronas, per monasteria, per singulos quoque fratrum circumfert : quo solo possit conturbare auditu. Et hoc fecit sub ipso tempore quo confestim ex urbe discederet, ne vel comprehensus facti sui redderet causas. Etiam inde, ut intelligi datur, secundum præceptum magistri per totam Italiam me criminari, instigare turbas, conturbare Ecclesias, aures quoque polluere sacerdotum, & in his omnibus modestia nostra tamquam conscientia abuti. Hæc discipuli. Ipse vero orientalis magister, qui ad Vigilantium scribens dixerat, per me Latini cognoscunt omnes Origenis bona, & ignorant mala : istos ipsos quos ego nunc transluleram reinterpretatus est : & omnia quæ à me vel improbabilia prætermissa fuerant inseruit, quo scilicet nunc contra sententiam suam Romani per ipsum cognoscant Origenis mala, & ignorent bona. Hinc jam non solum Origenem, sed meipsum in suspicionem hæresis conatur adducere. Hinc emittit incessabiliter canes suos, qui me per urbes, per vicus, per iter quoque transcuntem calumniarum latratibus inscendantur : & sanda adversum me omnia, atque infanda tentantur. Quid quæro te sceleris admisimus, si fecimus quod fecisti? Si tamen nefarium est uti exemplis tuis : de te ipse quid judicas? Verumtamen dic mihi o magister, jam enim ad te convertenda responsio est : ad legentem aut ad interpretantem, si qua illa est scriptoris culpa, rectè revocatur? Absit, inquit. Nequaquam. Quid me subtiliter circumvenis?



Nunquid non & ego legi? Nunquid non & ego interpretatus sum? Sed lege ea quae interpretatus sum: vide si quid in his dogmaticum invenies: certe si aliquid horum quae nunc ad damnationem voco reperies. Postremo ait: Si vis plenius nosse, quomodo apud me etiam suspicio hujuscemodi dogmatum semper execrabilis fuerit: lege commentarios meos in Epistola Pauli ad Ephesos: & ex his quae scripti, quid de eo senserim, legens cum vel interpretans nosces.

Et haec est tua tanti magistri gravitas, ut eum quem in aliis laudas, condemnes in aliis: & quem in praefationibus tuis alterum post Apostolos Ecclesiarum magistrum dixisti: nunc haereticum dicas? Quis haereticus Ecclesiarum magister aliquando dici potuit? Erravi, inquit, in hoc. Sed quando praefationem subjecisti? Commentarios lege: sed illos quos designavi: & cui hoc iustum videtur: ut is qui tot libros conscripsit, in quibus omnibus pene praeconia ejus usque ad caelum fert: qui tot jam annis & lecti sunt ab omnibus & leguntur: ex quibus quamplurimi ita edocti jam de hoc mundo decesserunt, & perrexerunt ad Dominum: hanc de Origene sententiam tenentes quam ex librorum istius asserione didicerant: & abierunt sperantes juxta hujus testimonium inventuros se eum secundum Apostolos Ecclesiarum magistrum: & nunc iterum scribit, invenerunt eum cum impiis haereticis & gentilibus condemnatum. Quomodo se ex contentione commutet & dicat: quia illum quem triginta fere annis continuis legens & scribens Apostolis exaquiavi: nunc haereticum pronuncio. Nunquid aliquos novos ejus libros modo legit, quos ante non legerat? Sed ex his eisdem dictis, eum & tunc Apostolum, & nunc haereticum dicit: & nullo modo hoc ita fieri potuit. Aut enim tunc recte dixit, & modo livore quodam & contentione pervertitur, & audiendus non est. Aut si tunc male dixit, & modo seipsum condemnat: quale ergo de se caterorum expectabit iudicium is qui secundum Apostoli sententiam a semetipso damnatur? Et quid, inquit, abscondit penitentia? Non: erratur & in verbo maxime: licet quidem de errore poenitere. Sed simul aliquis penitentiam agit, simul accusat, simul iudicat, simulque condemnat? Quasi vero si qua meretrix una se nocte, aut duabus a scortando contineat, debeat continuo leges de pudicitia scribere, & non solum leges condere, verum & sepulchra obruere omnium quae jam defunctae sunt seminarum, quod eas suscipiet sui similem vitam duxisse? Penitentiam agens quod haereticus fueris, benefacis.

Quid hoc ad me, qui nunquam haereticus fui? Penitentiam agis pro errore, recte facis: si tamen ipsam penitentiam legitime geras: non accusando, sed deprecando: non condemnando, sed flendo. Nam quae poenitentiae veritas est, ubi indulgentiae decretum ipse sibi poenitens dicit: Qui poenitet pro his quae male locutus est, vulnus suum non iterum male loquendo curat, sed silendo. Sic enim scriptum est: Peccasti, quiesce. Sed nunc ipse te reum statuit: & iterum reatu ipse te absolvis, & ex reo ipse te iudicem facis.

Haec jam non tua qui irrides nos, sed nostra qui ita nos irrideri patimur est mileria. Verumtamen veniamus ad hos duos commentarios, quos ceteris omnibus opusculis suis condemnatis ac renunciatis solos excepit, & quam caste se in his & continenter egerit videamus. Ex his enim foliis, & fidem suam probari vult, & quod Origene in omnibus adversetur. Proferantur ergo isti qui ei soli ex omnibus scriptis suis placet: id est, in Epistolam Pauli ad Ephesos libri tres: & in Ecclesiasten, ut puto, unus. Sed nunc interim, qui primus occurrit, in Epistola ad Ephesos commentarius relegatur. Etiam ibi consocium & concordem & *συμμετρῶν*, ut ipse ait, in his quae arguit approbo. Et primo omnium de quibus irridet mulierculas, quae se dicunt post resurrectionem non habituras fragile corpus, quippe quae angelorum futurae sint similes, quid ipse sentiat videamus. In tertio commentariorum libro in Epistola Pauli ad Ephesos, sub eo capitulo ubi scriptum est: Qui uxorem suam diligit, seipsum diligit: nemo enim unquam carnem suam odio habuit: post aliquanta ita ait: Foveamus igitur & viri uxores, ut animae nostrae corpora: ut & uxores in viros, & corpora redigantur in animas: & nequaquam sit sexuum ulla diversitas, sed quomodo apud angelos non est vir & mulier: ita & nos qui similes angelis futuri sumus, jam nunc incipiamus esse quod nobis in caelestibus reprimisum est.

Haec te in tuis commentariis scripsisse sciens quomodo eos ad exemplum fidei tuae & ea quae arguis confutanda pro-

ponis, & quomodo de tuis verbis mulieres arguis? Deinde quae mulier dixit aliquando, quod uxores in viros convertantur: & corpora redigantur in animas, quod tu scribis? Si corpora in animas rediguntur: ergo secundum te non solum carnis resurrectio non erit, sed nec corporum: quod confiteri istos quos tu fecisti haereticos dicis. Ubi jam ultra corpus quaerimus, si in animam redigitur? Erit enim jam totum anima, & nulquam corpus. Et iterum si uxores in viros commutabuntur, pro eo quod subjunxisti, ut nequaquam sit sexuum ulla diversitas, quasi ut hoc ostenderes, quia sexus quidem foemineus interibit ex eo quod redigerur in virum, solus autem manebit virilis: nescio quidem si haec tibi de se dicere foeminarum sexus permittat. Tamen & si ab illis concedatur: qua consequentia poteris ostendere ibi virilem sexum esse necessarium, ubi foemineus necessarius non probatur: quia naturali quodam vinculo in tantum sexus alter eger alterius, ut si alter non sit, alterius opus non sit. Etenim si liteam formam ex resurrectione, homo tantum recepturus putatur, quam in paradiso habuit: ubi est quod scriptum est, quia masculum & foeminam fecit eos, & benedixit eis? Si vero ut tu & mulierculas quas inculcas dicitis, neque vir neque mulier est: quomodo ergo aut corpora redigentur in animas, aut mulieres convertentur in viros: cum vel paradisi utrumque sexuum non patiat, vel similitudo angelorum, ut tu quoque fateris, nullum omnino recipiat? Et miror quomodo ab aliis exigas de sexum diversitate sententiam, de qua tu volens differere, tantis te involvis nodis, ut evolvere te nullatenus possis. Quanto rectius faceres, si nos quos culpas, imitaretis in talibus, & haec soli Deo ut te veritas habet, nosse permitteres: & te potius ignorare fatereris quam ea scriberes quae paulo post tu ipse damnares?

Velim mihi conscientia sua teste nunc diceret, non dico si in aliquo opusculo meo, sed in Epistola saltem mea, quam alicui familiari meo negligenter scripsissem, invenisset scriptum: quia corpora in animas redigantur, & uxores in viros: si non haec etiam aereis literis scribi per portas civitatum praecipisset: si non in foro, in curia, pro rostris etiam recitari. Quantos ex hoc accusationum titulos, quae volumina conscripsisset: quam me totis armis ac telis foecundissimi sui peccatoris perurgere, dicens: quia si mihi non creditis dicenti, quia fallit cum corpus dicit resurgere & carnem negat, vel cum fateretur quidem carnem, membra autem negat & sexum: ecce videte quomodo ipse scripsit in Epistola sua: quia corpora vertantur in animas, & uxores in viros. Sed nos te quidem haec scribentem, non solum non arguimus haereticum: sed satis facimus tanquam magistro: Mulieres tamen illae quas tam indignis & inhonestis contumeliis lacerasti, exhibebunt ante tribunal Christi, & haec quae his commentariis doces, & illa quae oblitus tui, rursus cum contumeliis scribis: & ibi utraque recitabantur ubi cessabit jam favor hominum: & redempti laudibus plausus silebunt: & tecum pro his vel dictis vel gestis tuis iudicabuntur apud iustum iudicem Christum.

Verum pergamus discutere quid etiam de quaestionibus scribat: hoc enim ad fidem pertinet, in quibus de carnis resurrectione sic variat caetera ut quaestiones. Item ex commentariorum libro primo de Epistola Pauli ad Ephesos de eo capitulo ubi dicit Apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati coram ipso, ita ait: Pro constitutione mundi in Graeco scriptum habet *καταβολῆς τοῦ κόσμου*. Non id ipsum autem *καταβολῆς*, quod constitutio sonat. Unde & nos propter paupertatem linguae & rerum novitatem: & sicut quidam ait: quod Graecorum & sermo latior & lingua felicior sit: conabimur non tam verbum ex verbo transferre, quod impossibile est, quam vim verbi quodam explicare circuitu. *καταβολῆς* enim proprie dicitur cum quid deorsum jacitur: & ad inferiorem locum mittitur à sublimi, vel cum aliqua res sumit exordium. Unde & hi qui aedium futurarum prima jaciunt fundamenta *καταβόλαι*, id est, deorsum initia fundamentorum jecisse dicuntur. Volens itaque Paulus ostendere quia Deus universa sit machinatus ex nihilo: non creaturam, non conditionem, non facturam, sed *καταβολῆς*, id est, initium fundamenti eum retulit: ut non juxta Manichaeum, & caeteras haereses quae factorem & materiam ponunt, aliud quid unde creaturae factae sunt, antecesserit creaturas: sed omnia ex nihilo extiterint. Quod autem electos nos ut esse-mus sancti & immaculati coram ipso, hoc est Deo, ante fabricam

Favorem hominum captabat Hieronymus, si credimus Ruffino.

Hieronymi Commentarius.

fabricam mundi testatus est, ad praescientiam Dei pertinet, cui omnia futura jam facta sunt, & antequam fiant universa sunt nota: sicut & Paulus ipse praedestinatur in utero matris suae, & Jeremias in vulva sanctificatur, eligitur, roboratur, & in typo Christi Prophetia genibus mittitur.

Hucusque unam edidit expositionem: sed sub cavis persona hujuscemodi intelligentia accipienda sit, non expressit: hoc tantum egit quod ex consequentibus reprobat priora. Ait enim in consequentibus: Alius vero est qui Deum iustum conatur ostendere. Unde manifeste ostendit quod per illam priorem expositionem non ostendatur iustitia Dei, quod utique impium est: sed per istum quem dicit alium, cujus asseritionem sine dubio volens apud omnes indubitata & catholicam demonstrare, dedit tale testimonium: quod hac sua asseritione iustum esse Deum conetur ostendere.

Sed videamus quid dicit iste alius: qui Deum iustum esse praedicat. Alius vero, inquit, qui Deum esse iustum conatur ostendere, quod non ex praedidio scientiae suae, sed ex merito electorum unumquemque eligat: dicit ante visibiles creaturas caelum, terram, maria, & omnia quae intra ea sunt, fuisse alias invisibiles creaturas: in quibus & animas, quae ob quosdam causas soli Deo notas, dejectae sunt in vallem istam lachrymarum, in locum istum afflictionis & peregrinationis nostrae: in quo sanctus constitutus orabat, ut ad sedem primitan revertetur, dicens: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incolata fuit anima mea. Et in alio loco. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et alibi: Melius est reverti & esse cum Christo. Et alibi: Antequam humiliarer ego peccavi: & caetera his similia. Itaque priusquam animae, inquit, praecipitarentur in mundum. Magister dicitis, inquit, & non dicitis, qui sunt isti qui haec inquit, quod animae prius essent, quam praecipitarentur in mundum. Nonne ergo recte dixi, inquit, quia talpa es, & non vides? Dixi jam superius, quia illi haec dicunt, qui Deum iustum esse asserunt: quem utique si cor haberes, me ipsum esse intelligeres. Neque enim ita impius sum, ut alium me & diversum esse statuum ab his qui Deum iustum defendunt, quod utique omnes faciunt, qui sanum sapiunt. Dic ergo, dic magister, quid isti qui tu es, inquit? Itaque priusquam animae, inquit, praecipitarentur in mundum, & mundus ex animabus fieret, cum habitatricibus suis in infernum ipse dejectus elegit Paulum Deus: & ei similes coram se, qui erant sancti & immaculati. Nemo autem eligitur nisi de pluribus, & ubi sunt aliqui viliores, ibi electio perpetratur. Quomodo autem in Babylonia captivitate, quando à Nabuchodonosor in Chaldaeam ductus est populus, missi sunt Prophetae Ezechiel, Daniel, tres pueri Aggeus & Zacharias, non quod ipsi meruerint captivitatem, sed ut essent in solatio captivorum: ita & in illa dejectione mundi, eos qui antequam mundus fieret, electi erant à Deo, missos esse in eruditionem & magisterium animarum peccatricium: ut praedicatione eorum revertentur ad eum locum unde corruerant, & hoc esse quod à Moysse in octogesimo nono dicitur psalmo: Domine refugium factus es nobis in generatione & progenie, antequam montes firmarentur, & heret terra, & orbis terrarum: quo scilicet antequam mundus fieret, & universa generatio principium sumeret, sanctis suis Deus refugium fuerit.

Haec sunt quae in illis quos solos ex omnibus opusculis tuis eligis, & ad condemnandos caeteros relegi jubes commentarios, scribis. Mundum ais fuisse invisibilem antequam hic visibilis fieret: in quo mundo cum reliquis habitatoribus, angeli scilicet & animae erant. Ista animas ais ob quasdam causas soli Deo cognitae in hoc visibili mundo nasci in corporibus, & quae antehabitaerant caelum apud prius saeculum, nunc hic habitant terram scilicet: non extra causas aliquas quas ipse inibi vivendo commiserint. Et ais quod sancti quique, ut est Paulus, & caeteri similes ei per generationes lingulas ad eruditionem earum à Deo destinati sunt: ut eas praedicatione sua ad illam habitationem suam, unde collapsae fuerant, revocarent: & hoc copiosissimis scripturarum testimoniis firmas. Et quae sunt alia quae dicta pro quibus Origene in jus vocas? Quae alia sunt in quibus cum damnari jubes? Aliumne damnas in tuis? Et si ut tu suades hujuscemodi dicta damnanda sunt, feres tu prius sententiam, & pro dictis talibus prior ipse te condemnabis. Neque enim jam tibi ultra ullum remanet effugium. Nulla hic strophæ, pro Tom. V.

quibus caeteros arguis habebunt locum. In ipsa etenim poenitentia tua post conversionem jam emendatus & corruptus, istis libris auctoritatem dedisti: videlicet ut ex his tua sententia de his quae damnanda dicis dogmatibus probaretur. Et ideo quae hic scripta sunt, tanquam si modo haec pronuncies & definias audienda sunt. Et hic talia definiis qualia dicis esse damnanda. Sed non sum, inquit, ego qui definitio: alium dico esse qui haec ita dicat: id est, ipsum istum quem modo dico debere damnari.

Repetamus ergo si placet illum ipsum versiculum, ubi immutas exponentis personam: ut videamus quis est ille quem talia dicis aliter. Ais ergo: Alius vero qui Deum iustum conatur ostendere, dicit haec quae jam supra diximus. Si iste quem dicis alium, Deum iustum asseritione hac sua, ut ais, ostendit, & à te alius & diversus est: de te ipso quid sentis? Tu negas iustum esse Deum? Magister dum tu multum vides, & satis arguis captos oculos talpas: puto tu incurrisse *ἀδυναμίαν*, & ex utraque parte concludi. Aut enim iustum Deum negabis: ut alius sis & contrarius illi qui haec dicit. Aut si, ut omnis confiteatur Ecclesia, etiam tu Deum iustum esse confitearis: tu es qui haec dicis, & tu es qui prius excipis sententiam, quam in alium fers, & tu qui tuometipsum mucrone confoderis.

Sufficere opinor haec apud iustissimos iudices & futurum Dei iudicium praestolantes, non quia condemnare debeant eum qui se lucam videt in oculis fratris sui, & in suo trabem non videt, sed emendare & ad veram poenitentiam revocare.

Verum ne forte latuerit eum locus iste unus ex his libris quos ad liquidum se recensisse putaverat: & quorum exemplum caeteris omnibus condemnatis, ad confessionem fidei proposuerat: requiramus quomodo etiam in caeteris sentiat. Idem in eodem libro, de eo capitulo ubi scriptum est: Secundum placitum voluntatis suae in laudem gloriae suae: post pauca ita ait: Invadunt itaque in hoc loco occasionem, qui ante constitutionem mundi animas putant cum angelis & caeteris virtutum caelestium nominibus in caelesti Jerusalem fuisse versatas: quod nec secundum beneplacitum Dei, nec in laudem gloriae ejus & gratiae possit intelligi: alios nudos, barbaros, servos, debiles, aliosque divites, Romanos nobiles, liberos, sanos, in diversis oris, & diversa parte generari, nisi causae praecesserint quibus ex meritis haec animarum unaqueque sortita est. Et illud quod ad Romanos scriptum est: quidam putant nosse, nec norunt: An non habet potestatem figulus lutum, de eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: ad eundem sensum referunt: ut quomodo mala vita seu bona, laboriosa vel facilis, frustra in hoc mundo agitur, nisi credamus Dei esse iudicium: ita & diversitas in hoc mundo nascentium iustitiam Dei arguat, nisi animarum merita praecesserint. Si enim inquit, haec non ita accipimus, non secundum beneplacitum voluntatis Dei erit, nec in laudem gloriae & gratiae ejus referetur alios elegisse ante constitutionem mundi: ut essent sancti & immaculati, & haberent adoptionem per Jesum Christum: alios ultimae conditioni & poenis perpetuis destinasse: amasse Jacob antequam oriretur ex utero: odisse Esau priusquam digna odiis perpetraret, nisi causa praecesserint quae iustitiam Dei probent.

Quid expressus hac asseritione: quid evidenter vel ab Origene, vel à quoquam eorum quos te arguere dicis, de his dogmatibus vel cogitari, vel dici potuit: quod scilicet diversitas & inaequalitas, quae est in hoc mundo nascentium, ad Dei iustitiam referatur? Causam salutis vel damnationis dicis dedisse ipsam sibi unamquamque animam: ex his scilicet motibus animorum quos prius in caelesti Jerusalem, quae est mater omnium vivendo gesserunt. Et hoc, inquit, non ex mea persona dictum est: sed alium dicere descripsi. Denique dixi, quia invadunt quidam occasionem. Nec ego nego, quod de alio dicere videaris. Sed iste alius quem haec dicere ais, utrum tibi concors & consonans, an vero contrarius sit & inimicus: non denegasti. Cum enim alium istum contrarium tibi aliqueum nominas: soles ponere quaedam dicta ejus, sed statim ea destrues & impugnare: ut Marcionis, & Valentini, & Arii & caeterorum. Cum vero alium quidem nominas, & dicta ejus cum validissimis asseritionibus scribis, testimoniis quoque scripturarum copiosissimis munis: nonne etiam nos tardissimi, & quos tu talpas dicis, videmus istum cujus dicta ponis &

Furtis argumentatio Ruffina.

Hieronymi Commentarius.

Ruffini obiectio fallax.